



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

VII. Vt monachi solitarias cellas sine abbatis sui licentia non petant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

IV.

Eas etiam quæ virginitatem professæ, & benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione huius propositi consecutæ, si fuerint in adulterio deprehensæ, cum adulteris ipsarum arcendas a communione censemus.

V.

* Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat euagandi; & in omni loco, ad quem sine epistolis episcopi sui, vt dictum est, venerint, a communione habeantur alieni.

VI.

† In monachis quoque par sententiæ forma seruetur: quos si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coërceri.

VII.

Seruandum quoque de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatē^s asperior ab abbatibus regula remittatur. Quod ita demum fiet, vt intra eadem monasterii septa manentes, tamen sub abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur.

VIII.

Cencil. A-
gath. Can.
38.

^h Abbatibus quoque singulis diuerfas cellas, aut plura monasteria habere non liceat; nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

IX.

Clericis, nisi ex permisso episcoporum suorum, sæcularia iudicia adire non liceat. Sed si quis fortasse episcopi sui iudicium cœperit habere suspectum,